DEO OPT. MAX. VNI ET TRINO, VIRGINI DEIPARÆ, ET S. LVCÆ ORTHODOXORVM MEDICORVM PATRONO.

QVÆSTIO MEDICA

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA

IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS XI. DECEMBRIS.

M. FLORIMVNDO LANGLOIS, Doctore Medico, Moderatore.

Eſtne aliqua in ſanguine menſtruo & ſemine prava qualitas ?

VT aliarum animantium, ſic & hominis quatuor naturæ ſimplices, à primis qualitatibus diverſum nactæ temperamentum, in jecore ac venis ab uno eodémque calore unà productæ, ſanitatis ſimul ac morborum opifices, quatuor genitalia mundi corpora (quibus invicem mixtis cætera componuntur & vigent) æmulantur propiùs; ignis quippe bilis, aquæ pituita, melancholia terræ, ut ſanguis aëris conditiones induit, in eáque tandem & hic & illi humores fato ſubeunte recurrunt.

AC ut illa ſimplicia corpora ſuas cauſas & principia omnium prima ſortita ſunt, materiam & formam: ita & ipſi humores ſedibus ſuis contenti, ibidémque naturali calore ac ſpiritu perfuſi, ſemen ac ſanguinem lunarem pro ſuis agnoſcunt: ac ſemen in primis, quod utérque ſexus confert in ſymbolum, ut fons eſt originis noſtræ proximus (cui cerebrum ſe ſe refert acceptum) formæ rationem aſſumens, à cavâ & aortâ prolectum, ſpermaticis in partibus coctum & ad ſummam perductum, corpori quamvis ſuperfluum perutile tamen excrementum tertiæ coctionis projicitur.

LVNARIS ille ſanguis, ex quo fictus accreſcit fœtus in locis muliebribus, cunctis viviparis communis, jecoris potiùs & ſecundæ in ipſo quàm tertiæ coctionis opus, mulieribus (quæ ob parciorem triplicis ſubſtantiæ jacturam, quam molitur calor ipſe nativus, victum largiorem, & otioſius vitæ genus, frigidiores ſunt) uberior quàm reliquis fœminis, ſed qui tamen, præter naturam ſi morari contingat, leuius quàm ſemen detrimentum producit, corpori nihil utilis ſtatis diebus ſolet excidere ac eliminari oportunè.

MATVRIS & pubeſcentibus annis, quo tempore magna evenit corpori mutatio, calore vegetiore facto, hic ſanguis quaſi furenter atque turbatè catullit in venis atque diffunditur, iiſque tandem amplitudine ſuâ differtis vix ac ne vix quidem refrænari valet. Hinc puellis per ductus exiguos in uterum quâ viam affectat, & ſtatis certiſque temporibus foras erumpit, mactatorum animalium haud abſimilis rubeus & floridus.

EX præſcripto naturæ prudentis & eruditæ, ἀπαίδευτος ſic licet illa καὶ ἀδίδακτος, ſingulis menſibus is humor, à quo partes carnoſæ fœtus materiam & formam accipiunt, & quo ſemen quaſi pabulo fruitur, non certè ab illo, ubi naſcendi initia ſumimus, loco emanans, quemadmodum nec ſaccatus humor à veſicâ, neque alui dejectio ab inteſtinis, ſed illuc aliunde demittitur, neque alterius naturâ ſuâ conditionis eſt haberíque debet is ſanguis, ac ille quem ſibi ſervat corpus & ad ſui nutritionem impendit.

Ergo non eſt aliqua in ſanguine menſtruo & ſemine prava qualitas.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Ioannes Grout.	*M. Antonius de Caën.*	*M. Jacobus Mentel.*
M. Antonius Ruffin.	*M. Carolus de Laval.*	*M. Nicolaus Matthieu.*
M. Petrus Pourret.	*M. Dionyſius Dodart.*	*M. Petrus Hommets.*

Proponebat Lutetiæ PHILIPPVS MATHON Abbavillæus, Fideliſſimæ Nationis Procurator.
A. R. S. H. M. DC. LXIV.